

Monsieur *Hevelius's* Letter written to the Publisher, containing his Observations of the late Comet, seen by him the 27, 29, and 30 April, and the first of May, 1677. (St. nov.) in Dantzick.

Nuper redditum illius miræ Stellæ in collo Ceti vobis, Amice honorande, significabam: Nunc verò de apparitione novi cuiusdam Cometæ vos certiores faciam. Prodiit namque hisce diebus Sidus Crinitum, quod primâ vice hic Gedani die 27 April. manè ab horâ 2 matutinâ ad 3. 30'. usque animadversum fuit. Die subsecente 28 April., nulla ratione, ob cælum omnino nubilum, phænomenum istud observari potuit; at verò die 29 April. manè, existente cælo aliquanto benigniori, licet non omnimodi defacato, pro viribus illum dimensus sum. Oriebatur, vel potius in oculos incurrebat, horâ 1.52', Mesaquilonem versus (h.e. Nord osten tot norden) capite quidem haud adeò ampio, sed tamen satis splendido, ex unico nucleo clarissimo composito, ad instar illius, Anno 1665. conspecti. Gaudam lumine notabilem radiis divaricatis sursum versus, duorum ferè graduum, exponebat. Linea directionis continuata cauda inter Alamac, lucidum sc. pedem Andromedæ, ejusque cingulum incedebat, & quasi distantiam harum stellarum in duas aequales partes secabat. Versabatur eo tempore supra caput Arietis in Triangulo, inter apicem & borealiorem in ejus basi, nempe in 5 gradu Tauri. & in latitud. 19 grad. Eor. Distabat hoc tempore à Sole secundum longitudinem tantummodo 5 grad., suo circulo verò maximo 20. Hincque cum adeò vicinus hic Cometa extiterit soli, haud potuit longiorem caudam, ut ut meā opinione reverà longè prolixiorem habuerit, ostendere, imò ut puto proximis diebus aliquantiù adhuc breviorē ostendet. Die 30 April. etiam si cælum non omnino serenum extiterit, observatus est, eā diligentia quā tum fieri potuit, tam majoribus Organis Astronomi- cis quam Tubis 12 atque 20 pedum: Deprehensus itaque in 9 grad. 8, & latitud. 18 hor. ferè; à Sole existente in 12 8; caudam rursus duorum grad. & aliquanto longiorem, ad borealiorem in basi Trianguli extensam (qua Stella planè in cuspide caudæ per Tubos optimè conspecta) exhibebat. Die 1 Maii hac ipsâ d'ie ab horâ 2.32'. matut. denū diligenter observatus à me est, à lucido latere Persei, Capellæ, Scheat Pegasi, & capite Andromedæ; hincque in 11 8 repertus, sub latitudine boreali 18, in ipsâ prepemodum coniunctione Solis, totidem quaque gradibus à Sole distans. Caudam adhuc

ad huc satis lucidam referebat, sed paulò breviorē, ut ut latiorē, quam ad lucidum pedem Andromedæ ex porrigebat.

A die 29 April., quā primum à me observatus, ad hunc usque diem 1 Maii, motu proprio propemodum 5°. 30'. absolvit; num autem successu temporis motum velociorē an tardiorē inierit, haud ita accurate affirmare nunc queo: cūm intermedia observatio, ob cœlum tum nubilum, non adeò certa mihi videatur. Subsequentes igitur observationes id brevi ostendent exquisitiū.

Quantum ex duabus observationibus conjicere possum, vel potius mihi divinari datur, fertur motu directō ad sinistrum pedem Persei, supra Taurum, ad pedes Geminorum, si eo usque perdurabit. Nodus descendens versatur circa 20 grad. Geminorum (sed ruditer id tantummodo refero) atque sic ibidem Eclipticam pertransibit, fietque tum Meridionalis, sub inclinatione orbitæ 27 serè grad. Hoc ipso vespere, dabo operam, ut eum etiam in Occidente i' plagâ, ut ut a nemine adhuc visus fuerit, deprehendere possim: Fortassis successu temporis aliquanto melius ibidem in conspectum veniet; sed in situ decliviori & crepusculo vespertino, Hypocircum videlicet versus, (h. e. Nordwesten to Norden) hic tamen conditione, si nimirum in eo motu, velocitate, nec non tramite persistat; atque sic simul matutino simul vespertino tempore nos illum conspecturos confido. De quibus tamen omnibus longè certiora, quando plures Observationes, Deo favente, impetravero, significare vobis potero: Hac quæ dicta fuere, tantummodo divinare valui; num verò bene, an male auguratus fuerim, tempus docebit. Quid vestrates Astronomi de hoc cometâ, & an illum citius, an tardius deprehenderint, avidissimè à vobis pariter expecto. Illusterrimam Regiam Societatem, Patronos, Fautores Amicosque omnes saluta quā officiocissimè ab ijs devinctissimo & ad quævis studia atque Officia paratissimo Socio, Joh. Hevelio.

Dabam raptim, ut vides, horâ 6 matutinâ die 1 Maii, statim p̄st Observationes habitas, propter Tabellarium stantem in procinchiu, Anno 1677. Gedani.